

Treuer:  
Paedia  
juris feu.  
dalis uni:  
versalis.  
Frankforti et  
Lipsiae:  
1753





GOTTL. SAM. TREVERI

ANTECESS. GOTTING.

669  
671

PAEDIA  
IVRIS FEVDALIS  
VNIVERSALIS.

W 551



FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

MDCCLIII



UNIVERSITÄT GIESSEN

AN DER UNIVERSITÄT GIESSEN

PÄDAGOGIK

AN DER UNIVERSITÄT GIESSEN

UNIVERSITÄT GIESSEN



UNIVERSITÄT GIESSEN

UNIVERSITÄT GIESSEN

ia  
ex  
ia  
fu  
pr  
le  
fi  
Q  
ea  
di  
ui  
ui  
sc  
fe  
G



# LECTORI BENEVOLO

S.



**P**auca tantum monenda erunt, ne prae loquium maius ipso libello, quem iam separatim excusum exhibemus, existat. De eiusdem auctore quum iam alii, quantum satis est, exposuerint, eiusque in historiam, iuris prudentiam publicam atque feudalem insignia merita satis cognita sint, nihil in medium proferam. Quod ad materiam libelli attinet, ea commendatione nostra haud indiget, cuius quippe praestantia a uiris doctissimis est probata, et nouissime a uiro illustri, Io. Jac. Mascouio in elegantissimo *de iure feudorum in imperio Romano-Germanico* libello nuper edito fuit

PRAEFATIO.

fuit agnita, qui etiam in *prolegom. §. 6. schol. 2. perill. Wolfii* atque Treueri nostri labores quam maxime commendat. Dedit quoque *iuris feudorum naturalis specimen, methodo scientifica conscriptum* Regnerus Engelhardus, quod *Lipsiae 1742.* prodiit. Immo nouissime *iuris feudalis uniuersalis elementa* in *Institutionibus iuris prudentiae uniuersalis, Ienae 1751.* quartum impressis, exhibuit celeb. Dariesius, *pag. 561. sqq.* Treueri libellus insertus exstat *Parergis Gottingensibus*, quae ob praestantiam tot emtores sunt expertae ut raro iam in tabernis deprehenduntur. Auctor ergo fui bibliopolae qui eum separatim lectorum commodo exhiberet, ut sic iterum parabilior esset. Iam uale, b. l. nobisque faue.

SVN



## SUMMARIVM.

- §. 1. Exponit rationes, cur negetur existentia iuris feudalis uniuersalis.
- §. 2. Ideas eruit rerum huc pertinentium.
- §. 3. Distinguit ius naturae ab institutis, quibus diiudicandis adhibetur.
- §. 4. Format statum controuersiae, et ius feudale uniuersale adserit I) ex generalitate iuris naturalis omnibus hypothesebus adplicabili,
- §. 5. Id monstrat de feudis, quae male dicuntur esse iuris gentium.
- §. 6. Docet 2) dominos et uasallos in statu naturali existentes id requirere,
- §. 7. 3) Contractus feudalis obligationem habitumque in multis ad ius naturae examinandum esse,
- §. 8. In ipso iure feudali communi 4) dari iuris naturalis placita,
- §. 9. Ictos 5) saepissime in materia feudorum ad ius naturae recurrere,
- §. 10. Eos 6) concedere, dari ius publicum et priuatum uniuersale, quibus eadem olim obiecta, ac nunc iuri feudali uniuersali.
- §. 11. De principiis, methodo, scriptoribus huius disciplinae iudicatur.
- §. 12. Usus eius ostenditur I) in ordine fontium obseruando ad decidendas controuersias feudales,

A

§. 13.



- §. 13. *Vt et 2) in dispi- naturam et consecrari  
cienda feudorum indo- profligandos,*  
*le in statu naturali ui-* §. 15. *Demum 4) ad tol-  
uentium, lendam incertam le-*  
§. 14. *Nec non 3) ad gum feudaliū ratio-  
errores circa feudorum nem.*

## §. I.



Ab instituto meo facile me deter-  
rere potuisset auctoritas Gundli-  
gii, qui in *Iur. nat. et gent. cap.*  
*21. §. 27.* tamquam ex tripode pro-  
nunciat: *dispositiones feudales arbitrariae sunt, iique*  
*non leuiter decipiuntur, qui ius feudale uniuersa-*  
*le et naturale somniant.* Ratio adfertur, quam  
adduxit, primo intuitu oculos satis praestir-  
guit: quidquid enim ex mero arbitrio ho-  
minum profectum est, eorumque inuento de-  
betur, non potest esse iuris naturalis uel un-  
uersalis. Neque feudorum res ita connex-  
deprehenditur cum naturae humanae neces-  
sitatibus, ut illorum iura et officia mero ra-  
tiocinio mentis exinde colligi aut cognos-  
queant. Quod etiam in animo habuit Gundli-  
gii, dum *cap. 22. §. 27. de dominio utili,* a  
*eiusque uariis speciebus iura exstant emphyteutic-*  
*feudalia, eaque diuersa, quorum neutrum e iu-*  
*necessario naturae auctoris prodit, sed ad haecce-*  
*gotia in certum ordinem cogenda, ac dilucidanda*



arias conclusiones, excogitata sunt uniuersa. Quid  
quod feuda peculiari nituntur contractu facto-  
ue humano: lex uero naturae facta specialia  
ominum non determinat, nec praescribit, sed  
orum arbitrio pro necessitate status sui relin-  
quit: quomodo ergo ad ius uniuersale refer-  
i possunt.

## §. II.

Sed stat nihilo minus sententia de iure feu-  
ali uniuersali adserendo, modo eruantur o-  
nia distinctius, quae hanc controuersiam ingre-  
iuntur. *Feudum* hic nobis denotat *dominium*  
*utile concessum a domino sub conditione praestandae*  
*delitatis*. Ius feudale ergo erit ius reprimens  
is legibus quasuis iniurias circa dominium  
irectum et utile oriundas. Ius uniuersale  
iud non datur praeter ius naturae et genti-  
m, siue decretum intellectus diuini per ra-  
onem innotescens, obligans homines ad in-  
urias in alios omittendas. Explicat hoc iura  
omnia homini a Deo concessa, quorum lae-  
sione continetur iniuria: et dum neminem lae-  
endum praecipit, cuius concedit ius amoli-  
ndi a se laesiones omnes eadem uolentia,  
ua inferuntur. Prohibet autem uel laesiones  
iurium mere naturalium, quae homini a natu-  
a nullo praeuio facto humano absolute com-  
etunt, et dicitur ius nature absolutum: uel  
rohibet laesiones iurium ex pacto cum aliis  
ominibus prouenientium, et dicitur ius na-  
turae

turae hypotheticum; respicit enim iura, quae non simpliciter et absolute homini obueniunt, sed ob certum pactum praeuium, uel certam hypothefin, ei attribuuntur. Ius paciscendi fidesque pactorum generatim spectata sunt iuris naturalis absoluti: sed iura ex aliquo pacto homini in hominem competentia sunt iuris naturae hypothetici, nec internosci possunt, nisi supponatur pactum, ex quo proficiscuntur.

### §. III.

Illa pacta, conuentiones, instituta sunt plerumque meri arbitrii humani, neque cum necessitatibus naturae humanae ita connexa, ut exinde per ratiocinia mentis colligi queant; sed bene distinguendum ab his ius naturae, quod iniurias circa illa committendas determinat, discernit, prohibet. Hoc omnino manet naturale, et ex necessitatibus humanis intelligitur, quamuis applicetur ad instituta arbitraria, quae inuentioni et electioni hominum debentur. Manet cuius sua proprietates: neque per applicationem iuris naturae ad inuenta hominum haec redduntur naturalia, illud arbitrarium. Immiscentur nonnumquam iis negotiis, quae homines pro arbitrio inuenerunt, naturalis iustitiae placita: cum ab hominibus, recta ratione utentibus, introducta sint, mirum foret, nisi quandoque legum naturalium monita apparerent; quae frequentius in institutis earum gentium deprehenduntur,

tur,

tur, apud quas uitae morumque simplicitas uiguit, quam illorum populorum, qui infinitis consuetudinibus, moribus, legibus positius, et negotiorum uarietate ac multitudine longius a naturae institutis et natiuis ueritatibus secesserunt. Interest saepe eruditionis, ista omnia ad amussim iuris naturae reuocare et expendere, num conueniant cum eius norma, an ipsi contrarientur. Quidquid instituti humani est, examinari debet ultimo ad hunc lapidem Lydium, si de eius iustitia quaestio moueatur. Haec est ratio, cur tot societates, tot contractuum genera, tot iura diuersa a scriptoribus iuris naturae ad suum tribunal trahantur, quamuis natura plane non cognita sint, sed ab hominum libera inuentione pendeant: ut scilicet explorent, quid in iis a iure naturae alienum, quid ipsi consentaneum sit. Testamenta Romanorum tantum abest, ut naturali iustitiae congruant, ut potius absurdum uideatur, uoluntati tunc demum uim obligandi tribuere, quando desit esse uoluntas, et accidentia subiecti tunc demum efficacissima pronuntiare, quando subiectum, cui inhaerent, prorsus euanuit. Quamuis ergo mero inuento humano debeantur a rei natura penitus recedenti, nil tamen obstat, quo minus in iure naturae inuestigari possit, quid posita re testamentaria iustum naturaliter circa eandem dici queat. Societas coniugalis a conuentione libera uirorum et feminarum pendet: seruilis neque a natura, libertatis potius cupidissima,

pidissima, pendet, nequea iure naturae praecipitur, ad huius tamen placita ab omnibus iuris naturae interpretibus examinantur eorum instituta. Vt de iure successionum, de tutela, mandato, mutuo, deposito cet. nihil moneam quae ad ius naturae hypotheticum referuntur.

### §. III.

Nunc uideamus uerum controuersiae situm, de quo sermo est: quaeritur scilicet, an iuris naturae placita applicari possint ad quaslibet dominii directi et utilis consuetudines et dispositiones, ut de omnibus pateat, quid iustum sit naturaliter, et an haec placita in doctrinae forma redacta dici queant ius feudale uniuersale. Si priuauerimus, posterius nullam pariet difficultatem, nisi rem concedere, uerum eius nomen autem in dubium uocare uelis. Vtrumque adserere studebimus sequentibus ratiociniis

I) Adeo generalia sunt iuris naturae praecipita circa iuris perfecti constitutionem iniuriaeque euitandas, ut ad omne institutum humanum liberrime excogitatum applicari, eiusque iustitiae diiudicandae inferuire queant. Species pacti uel instituti humani quamuis alienissima sit a natura, nec eius lumine pateat, quamuis momenta eius circumstantia plane insolentia sint, et ingenium inuentoris prae se ferant, non tamen respuit examen iuris naturae, nec obstat, quo minus ad eius normam perueniri queat, num iura perfecta, quae continent,

nent, iusto nitantur fundamento: num iniuriae, quae in medium producantur, iuris perfecti laesiones sint, adeoque nomen suum tueantur: num pacta, quibus innititur, recte se habeant: num damnum, quod innuit, uere datum dici queat: an satisfactionis praescriptae limites recte se habeant, et quae sunt infinita alia, quibus secundum ius naturae peruestigandis ex instituti humani specialibus circumstantiis occasio subnasci potest. Cur feuda hic excipiamus, nulla subest ratio.

§. V.

Largior ambabus manibus, feuda non esse iuris gentium, sed ex necessitatibus bellicis Scythicarum gentium pronata, et ab eorum progenie, Germanis scilicet populis, in Europam translata fuisse. Miror, multos iuris feudalis interpretes feuda ex iure gentium deduxisse, qui forte Stephani Forcatuli, Hoppii, Stryckii auctoritatem secuti sunt. Argumenta eorum ualde ieiuna sunt: dicunt enim, partim rationem naturalem exigere, ut ad securitatem patriae et rei publicae prouehendam bona uaria concedantur uiris fortibus sub lege fidelitatis, partim obligationem in contractu feudali prouenire ex iure naturae et gentium, partim gentes uarias recepisse usum feudorum, eorumque consuetudines approbasse. At uero cuius constat, omne id, quod ratio naturalis exigit, non iuri naturae esse adscribendum, quod saltem dispicit regulas iuris perfecti.

festi. Exigit ratio non tantum honestatis, ci-  
 uilitatis, prudentiae officia, sed exigit quoque  
 ob fines ab hominibus liberrime positos, et ab ea  
 omni naturae foro alienos, adminicula infiniti  
 generis: exigit remedia tot necessitatibus hu-  
 manis adhibenda, quae absurdissime iuris gen-  
 tium dicerentur. Porro uniuersalis pactorum  
 et contractuum obligatio pendet omnino ex  
 iure uniuersali omnium hominum, sed eam  
 ob causam quiuis contractuum, qui ab homi-  
 num arbitrio specialissimum formam, obiecta,  
 requisita accepit, non ex iure gentium pro-  
 fluxisse dicendus est. Lex naturae, quae pacta  
 seruanda esse generatim praecipit, nullum ta-  
 men pactum hominibus praescribit, sed illorum  
 arbitrio relinquit, qualia pro necessitatibus suis  
 inire uelint. Si ita rationes subducere liceret,  
 etiam contractus Romanorum et nominati et  
 innominati forent iuris gentium. Tertia  
 denique ratio prorsus absona est: quidquid  
 enim gentes usu suo receperunt, approba-  
 runt, non est iuris gentium, alias fabarum  
 tostarum potus, tabaci, uini usus iuris erunt  
 gentium. Iam dudum profligatus est error,  
 quo nonnulli ius gentium in earum moribus  
 posuerunt, qui tamen neque recepti sunt ani-  
 mo suscipiendi obligationem perfectam, ne-  
 que pactitiam indolem complectuntur, ne-  
 que in normam aliarum gentium, quae  
 mores eius modi ignorant, trahi possunt.  
 Trier. in *Animaduers. ad Stryckii Exam. iur.*  
*feud.*

ci-feud. cap. 1. quaest. 1. fatetur quidem, feuda  
 non esse iuris naturalis obligantis, sed tamen  
 ea uult esse iuris gentium permittentis. Sed  
 hoc idem est, ac negare, feudis in iure gen-  
 tium locum esse. Permissio enim est, non actio  
 legis: quacumque de re tacet lex, uel nihil  
 monet, eam permittere dicitur. Quando er-  
 go fateris, feuda non nisi iuris gentium per-  
 missiui esse, concedis quoque, ius gentium de  
 iis tacere, adeoque saltem innuitur, feuda ad  
 eius forum non spectare. Permittuntur omnes  
 pactorum speciales formae et dispositiones, quas  
 Deus hominum necessitatibus et arbitrio re-  
 liquit. Natura certe nescit feuda aequae ac  
 ius naturae, quae ex peculiari prudentia mili-  
 tati quarundam gentium profecta sunt. In-  
 stitutum plane positium et arbitrium est,  
 cuius tamen iustitia commode explorari pot-  
 est ad naturae leges. Placita earum applicata  
 ad feudorum uaria negotia manent iuris uni-  
 uersalis conclusiones, adeoque ab abiecto, quod  
 diiudicant, iuris feudalis uniuersalis nomen  
 sortiuntur.

§. VI.

2) Feudalis nexus inter dominum et  
 uasallum non tollit eorum statum naturalem  
 in quo haecenus fuerunt: non enim infert  
 imperium nec obsequium ciuile, secundum  
 tritum illud, *Lebenbarkeit würckt keine Unter-  
 thänigkeit*. Vasallus fidelitatem praestat, sed  
 non

non subiectionem: uasallagium, non homagium: seruitia promissa, non onera ciuilia Rex utriusque Siciliae plenam status naturalis libertatem tuetur, quamuis nexu feudali pendeant eius regna ab inuestitura praefulis Romani. Rex Daniae prouinciam Budiam in feudum tenet a serenissima domo Brunſu. Lunenburgensi sine ullo nexu ciuili. Subſunt alia huius rei copioſa exempla, de quibus uid. Hildebrandi *Diff. de uasallagio subiectionem non inferente*, et Pistorius in *Theſaur. parocem. centur. VI. pag. 520.* Inter eius modi dominos et uasallos in ſtatu naturali uiuentes multae poſſunt oriri lites, quae ſaltem non omnes ex iure feudali communi decident: haec enim inter uasallos landſaſſios et dominos directos imperium ſimul ciuile ſuſtinentes obtinuiſſe, in uulguſ notum eſt. Quamuis etiam facile concedam, conſuetudines illas feudales etiam locum in iis controuerſiſ inuenire poſſe, in multis tamen non poſſunt non repudiari ob maiestatem eorum, quorum intereſt. Iam Gribnerus, Spenerus, Baſtinellerus, aliique docuerunt, quantum praedictum uſus iuris feudalis Langobardici principibus imperii attulerit: quid non adferet iis, apud quos tantum ualoris nondum adquiſiuit, ac in Germania. Nonne ergo in multis recurrendum erit ad ius naturae et gentium, eiusque norma conſulenda in controuerſiſ feudalibus eorum, qui nullum habent ſuperiorem,  
 niſi



nisi Deum? Ponas saltem duos reges ac principes nexu feudali sibi inuicem obstrictos; percurras materiam litium feudaliū, quae ipsis moueri possunt, et senties euidentissime, quantus se aperiat campus iuri feudali uniuersali ad explicanda iustitiae naturalis capita. Haec obseruata quoque ostendunt, quam inepte scriptores iuris feudalis fere omnes id ad ius ciuile referant: quo modo enim poterit applicari, si ciuile sit, ad dominos et uasallos, qui ciuilem nexum nullum inuoluunt, quibus lex ciuilis nulla scripta est, nec scribi potest, quod nullum adgnoscant imperantem? Rectius ergo ius feudale in naturale et ciuile dispesci; illud ad statum naturalem, hoc uero saltem ad statum ciuilem trahi potest, cui uasalli implicati sunt, de quo alio loco pluribus.

## §. VII.

3) Feudalia iura et obligationes proueniunt ex contractu feudali, cuius pactitia insoles et obligandi uis, ut §. 5. uidimus, ex iure uniuersali dispicienda est. Nam ex quo fonte, quaeso, discerni posset generatim eius iustitia, si non ex iure naturae? Noui naenias Ictorum, qui hic iuris Romani adserta in subsidium uocant; eumque contractum lepide uolunt esse nominatum, consensualem, stricti iuris, quasi haec nomina iuris prudentiae Romanae propria in omnium gentium pactis et

CON-

contractibus necessaria essent. Peruidit tamen rei insulstatem Hornius in *Iuris prud. feud. cap. 12. §. 2. Solliciti sunt*, inquit, *doctores nostri, utrum contractus hicce sit bonae fidei, an stricti iuris, nominatus, an innominatus. Merito dubitaueris, utrum hae contractuum diuisiones, ex placitis Romanorum et intimiori illorum iuris prudentia descendentes, ad feudale hoc negotium commode applicari possint. Rectius contractuum omnium, quos homines inuenerunt, iustitia ad lapidem Lydium iuris naturae examinatur, quod etiam scriptores eiusdem abunde fecerunt. Sed quid est, in doctrina iuris naturae contractus reales, consensuales, uerbales, litterales, unilaterales, onerosos, et beneficos enumerare et dignoscere, quam enucleare, quid sit iustum naturaliter circa eosdem, siue ius uniuersale de iis exponere? in quo Pufendorffius de iur. nat. et gent. lib. V. defudauit. Iura in rebus alienis, quae competunt non dominis, recensuit idem Pufendorffius lib. III. cap. 8. et e. gr. ius et contractum emphyteuticum cum legibus naturae contulit: cur feudum non attigerit, miramur merito, ad eandem classem iurium merito referendum; contractum tamen feudalem paucis expendit lib. V. cap. 2. §. 10. Hertius ideo in Commentario suo ad h. l. recte monet, mirum est, auctorem omisisse hic ius feudi. Et Barbeyracius tom. I. pag. 556. ad eundem locum notauit: nôtre auteur ne devoit pas oublier le droit*

*droit des fiefs, qui peut être rapporté à la matière de ce chapitre: il faut y suppléer en peu de mots.* Nonne hac ratione iuri hi eruditissimi agnoscere, dari ius feudale uniuersale, dum iuris naturae materiis tractationem de feudis accensendam esse non dubitarunt? Grotius bene nonnulla de iis exposuit *de iur. bell. et pac. lib. I. cap. 3. §. 23.* Sed exempla feudorum minus recte subsumsit.

§. VIII.

4) In ipso iure feudali communi reperiuntur hinc inde placita iuris uniuersalis. Quum enim homines recta ratione utentes uel usu, uel lege et praecepto iura feudi uaria determinauerint et introduxerint, mirum haberi nequit, naturalem iustitiam in eorum institutis elucere. Quae habentur *1. Feud. 7. et 1. Feud. 21.* iuris naturalis esse, nemo inficiabitur, ut nullus militum sine cognita culpa beneficium suum amittat. Si a minoribus uel minimis ualuaforibus inuestitus quis sit, eripi posse beneficium non habita ratione culpae, statuitur quidem *1. Feud. 7.* quod ad arbitrariam consuetudinem referendum; sed tamen adiicitur rursus ex iure naturae, *nisi emerint feudum; tunc enim pretium restituendum est secundum antiquum et rationabilem usum.* Sic *2. Feud. 3.* naturale est, noui feudi inuestituram non ab alio recte fieri, nisi ab eo, qui legitime suorum bonorum administrationem habet: qui enim

enim qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditur alienare, is nec per feudum poterit aliis concedere, nec inuestituram facere. Secundum regulas iusti a nemine contractus potest proficisci, qui non habet paciscendi facultatem et implendi fines primarios pacti, nisi paciscens alter consentiat, ut promisso per alios satis facere queat. Applices haec ad eos, qui feudum adquirere possunt, et videbis, naturales subesse rationes in modo, quo infantes, impuberes, furiosi, caeci, surdi et muti ad feuda admitti queunt. Nullam inuestituram ei debere fieri *z. Feud. 3.* qui fidelitatem facere recusat, quum fides ad essentiam feudi pertineat, naturali iustitiae maxime conuenit. Multa *z. Feud. 8.* ex iuris naturae penu depromta. Cum de re aliena inuestitura fiat, uidendum, an uasallus sciuerit uel ignorauerit hanc rei qualitatem. Si sciens rem alienam susceperit, habeat sibi, de euictione agere non poterit, nisi pacto sibi prospexerit speciali: ignorantem uero competit actio ad euictionem, ut aliud feudum eiusdem bonitatis seu quantitatis praestetur. Qui particeps est domini, rem sibi concessam a quolibet possidente potest uindicare, et, si ab alio eius rei nomine conueniatur, defensionem opponere: quod naturale ius etiam uasallo permissum. Si seruitus per negligentiam uasalli feudo obrepat, in praeiudicium quidem uasalli uergit, donec feudum tenet, sed non domi-

domini, cet. Plura satis copiose adferre liceret, nisi iam ex his constaret luculentius, ius feudale uniuersale iam reperiri magna ex parte in iure feudali communi.

§. VIII.

5) Multi Ictorum praeter opinionem forte in nostram sententiam non inciderunt, sed iuerunt: rem iam dudum concefferunt, nomen tamen uidetur insolens. Multa ab iis emendata sunt in feudorum consuetudinibus ex fontibus iustitiae naturalis. Prouocant in suis correctionibus ad rationem, philosophiam, aequitatem, immo uero disertis uerbis ad ius naturale: quam solide, mea iam non interest. Quid aliud significant, quam ex eius legibus diiudicari posse instituta feudalia, siue dari ius feudale uniuersale? Cuiacius *Feud. lib. III. tit. 1. pag. 720.* improbat, feudi essentiam in re immobili ponendam esse, et respicit ideam feudi generalem, quam supra exhibuimus, auremque uellicat aduersariis, philosophia hic opus esse: *multum, inquit, interest inter materiam feudi et feudum. Imperiti philosophiae iurisque id, quod traditur possideturque, tantum spectant, dum feudum definiunt esse rem immobilem.* De quaestione, an filiae ex feudis nouis legitimam poscere queant, Augustus, elector Saxoniae, decretum dedit a. 1572. in quo iuri naturae hic locum esse inuinitur: *da es sich zutragen sollte, dass solche Forderung*

derung der Legitimae zu Recht fürgenommen wür-  
 de, und wir dann erachtet, das berührter Streit,  
 so in die natürliche Rechte mit einläufft, nicht  
 besser, denn durch Aufrichtung unserer Constitu-  
 tion cet. abgeholfen werden möchte. Vid. Lunig,  
 Corp. iur. feud. tom. II. pag. 603. Quam re-  
 ste lis de legitima ad ius naturae referatur,  
 iam non disputo. Spenerus de dativa tutela  
 uasallorum imperii, pag. 203. omnes natu-  
 ralis iuris regulas dominico tutelari iuri fir-  
 miter stabiliendo fauere ostendit. Mylerus ab  
 Ehrenbach in Gamolog. cap. 25. n. 2. pag. 627.  
 repellit legitimatos filios per rescriptum im-  
 peratoris a successione feudorum regaliū,  
 quod id pacto adquirentis et prouidentia con-  
 cedentis, qui feudum regale primo constitue-  
 runt, aduersetur, pactum autem illud et pro-  
 uidentia iuris sit naturalis seu gentium. In  
 controuersia, an uasallus aduersus patrem do-  
 minum iuuare debeat, scriptores tantum non  
 omnes ex iure naturae disputant, et cum  
 Cuiacio patris nomen ex 2. Feud. 28. malunt  
 expungere, quam eius sententiae adfen-  
 tiri: quum tamen non expendant, uasalli ob-  
 ligationem erga patrem pertinere ad officia  
 decori, erga dominum directum uero ad of-  
 ficia iuris perfecti. Vid. Bitsch. Commentar. in  
 consuetud. feud. pag. 453. Mauriti. decad. 12. tit.  
 8. Grot. de iur. bell. et pac. lib. II. cap. 18. n. 4.

## §. X.

6) Denique ius ciuile uniuersale datur

cum

cum publicum, tum priuatum, eique adnū-  
 unt ICTi: cur ergo repugnant iuri feudali  
 uniuersali, quod nullis aliis premitur diffi-  
 cultatibus, quam quas istis disciplinis olim  
 obiectas esse nouimus, dudum iam explosas?  
 Nouimus, statum ciuilem neque a natura pro-  
 fectum, neque a iure naturae iniunctum esse:  
 ciuitatis origo est arbitraria: maluerunt homi-  
 nes parti libertatis nuntium mittere, quam  
 status naturalis ab hominum malitia penitus  
 corrupti miseriam ulterius experiri. Pacto  
 ergo uel expresso uel tacito summo imperan-  
 ti se submiserunt ad maiorem securitatem.  
 In illo statu ciuili dispicit ius naturae uel  
 iura imperantium et ciuium inter se, quae  
 ad statum publicum spectant, et dicitur ius  
 publicum uniuersale: uel iura priuatorum siue  
 ciuium inter se, et dicitur ius priuatum uni-  
 uersale. Ex quo Hertius paediam iuris pu-  
 blici uniuersalis consignauit, distinctius iuris  
 naturae scriptores illam doctrinam pertracta-  
 runt, quam haecenus cum aliis eius capitibus  
 commiscuerant, uel sub titulo *politicae genera-*  
*lis, architectonicae, elementorum ciuilium, do-*  
*ctrinae de ciuili imperio, de ciue, de maiestate*  
 explicauerant. Egregiam disciplinam peculia-  
 ri opera nobis exhibuit Boehmerus. Gribne-  
 us singularibus libris eam a iure priuato uni-  
 uersali distinctam suae *Iuris prudentiae naturali*  
 inseruit: ut tot alios iuris naturae interpretes,  
 qui eius meminerunt, silentio praetermittam.

B

Capita

Capita eius omnia in *Iure naturae* complexus est Gundlingius, qui tamen iuri feudali uniuersali locum in ea denegauit, quum eaedem obiectiones, quas huic opposuit, etiam iuri ciuitatis obmoueri queant. Feudum est institutum arbitrarium aequae ac ciuitas: iura feudalia e iure necessario naturae ἀμείσως non produunt, sed nec iura ciuilia neque publica, neque priuata: feuda sunt res singulares, quod et de ciuitatibus admittendum: ignorat ius naturae feuda, ignorat et res publicas: neque cum natura humana consuetudines feudales necessariam inuoluunt connexionem, neque ciuitates: uariant infinite feudorum status, genera, iura, uariat et ciuitatum indoles. Et tamen iuris uniuersalis placita applicantur in quouis eius systemate ad statum ciuitatis uniuersum, cur non ad statum feudalem? tamen ius naturae decernit, quid sit iustum naturaliter circa iura imperantium et ciuium: cur non decernat de iuribus domini et uasalli? tamen ex collectione istarum hypothesium naturalium circa rem publicam digeritur ius publicum et priuatum uniuersale, cur non eius applicationibus copiosis ad feuda ius feudale uniuersale repraesentari possit.

### §. XI.

Non hic deesse putes sciendi principium methodumque, qua in hac doctrina utendum

Possi  
ero



Posita feudi definitione elicere par est uaria, quae illam consequuntur: cognito feudali contractu cognoscuntur iura domini et uasalli, quae exinde proficiscuntur: in oculos porro incurrunt feudorum attributa cum essentialia, tum naturalia cet. de quibus omnibus ad iuris naturalis prudentiam iudicandum. Tam late se extendit disciplina, quo usque obiectum suum, nempe feudorum instituta porriguntur, quibus omnibus naturalis iustitiae praecepta commode applicari possunt. Sic de feudis generatim explicatur, eorumque attributis, de concessione et acquisitione eorum, de iuribus praerogatiuis domini et uasalli, de obligatione utriusque, de eius solutione et laesione, de iudiciorum circa lites processu. Pergitur deinde ad specialia feudorum instituta et genera, in quibus omnibus, quid conueniat, quid aduersetur naturali iustitiae, quid ab ea alienum sit, peruidendum. Allegare non possum scriptores, qui doctrinam iusto ordine pertractarint, cum de adserendo et ordinando iure feudali uniuersali nunc primum solliciti simus. Neque a uetustioribus feudorum scriptoribus multum lucis expectare licet, qui ignoratis iuris naturae fontibus consuetudines strictius insequuti sunt, et de uerbis legum magis solliciti fuere, quam de iustitiae disquisitione. Sunt tamen inter recentiores, qui circa feuda ratiocinii uim exercuerunt, et non tantum ex Germaniae me-

diae antiquitatibus, sed etiam ex uniuersalis iustitiae lumine rebus feudalibus lucem accendere uoluerunt. Hinc in Schilteri, Cragii, Fabri, Eybenii, Thomasi, Hertii, Speneri, Ludewigii, Buri scriptis luculentis huius doctrinae uestigia passim comparent.

### §. XII.

De usu iuris feudalis uniuersalis multa in medium adferre non opus est, quum naturalis iuris limpitudo firmitasque sua luce radiet, ac ex praecedentibus rei utilitas colligi queat: nonnulla tamen specialius adducere, e re nostra esse iudicauimus. 1) Facit ad ordinem in decidendis controuersis feudalibus recte formandum. Si dubium aliquod in forum adductum, neque ex pactis specialibus, neque ex consuetudinibus feudalibus territorii et Germaniae, neque ex iure feudali communi solui queat, recurrendum esse monent Icti ad ius Romanum, in quo, quae similitudinis quid inuoluunt, trahi posse monent in subsidium rerum feudalium. Sed recte dicuntur trahi, cogi, torqueri, cum nullam iurium similitudinem res istae iuris Romani habeant cum feudis, e. c. emphyteusis Romana cum feudo, libertas cum uasallo. Suadendum potius est, ut recurratur ad ius naturae, primum fontem omnis iustitiae. Egregie adserto meo uelificat Ludouici, *in der Einleitung zum Le-*  
*bens-*

*hens-Process, cap. 13. §. 13. allein ich halte dafür, es gehe solches nur in so weit an, als in dem Römischen Recht etliche allgemeine Gründe aus dem natürlichen Recht anzutreffen sind, z. e. das derjenige, welcher von dem andern eine Wohlthat genießet, demselben auch allen Respect zuerweisen schuldig sey, u. s. f. und dannenhero wollte ich lieber sagen, es müsse in Ermanglung aller andern Rechte die Entscheidung der zweifelhaften Frage aus dem Recht der Natur hergenommen werden.*

§. XIII.

Vfus praeterea insignis iam §. 6. indicatus est. Nempe 2) ius feudale uniuersale utramque faciet paginam in controuersis inter dominos et uasallos in statu naturali existentes. Summa libertas uasallorum tam speciales causas suppeditare potest, ut a iuribus feudorum particularibus, quae uasallos ciues ut plurimum respiciunt, nihil expectari possit ad decisionem earum. Quis hic communia de feloniam, de iudicio feudali, praecepta adplicare poterit? Immo uero ne quidem natura feudorum more consueto de eorum regnis uel prouinciis praedicari potest. Nam quale est illud dominium, quod rex in regem uasallum, eiusque regnum, tenere dicitur? habetne directum, penes quod residet proprietas regni? tribuetne regi uasallo nil, nisi dominium utile, in regno suo? Nonne adposi-

site

site in hanc rem ex iure feudali uniuersali  
 ratiocinatur Car. Molinaeus in *Consuetud. Gall.*  
*tit. 1. n. 115.* feudum potest subsistere sine reten-  
 tione domini directi, sed solius fidelitatis. Nec  
 est de essentia feudi, quod proprietas uel directum  
 dominium retineatur, sed solum de natura. Un-  
 de si in infeudatione res sit concessa in feudum  
 cum omni dominio directo et utili, et cum omnibus  
 actionibus directis et utilibus, sola fidelitate retenta,  
 et forte certa annua pensatione, erit uerum feu-  
 dum. Feudi enim substantia in sola fidelitate,  
 quae est eius forma essentialis, subsistit; cetera  
 dependent a pactis et tenore inuestiturae. Addit  
 Ludewigius in *Iure client. German. sect. II.*  
*cap. 2. §. 1. pag. 118.* neque exempla desunt  
 feudorum proprietatis. Siciliam Hispaniae reges  
 a pontifice Romano ut feudum pendere non infi-  
 ciantur: sed tamen laesae maiestatis accusatum iri  
 existimo, qui in regno Sciciliae Hispaniae regem  
 diceret usufructuarium, proprietarium uero papam.  
 Eandem ideam feudi in statu naturali obuii  
 ante oculos habuit Grotius de *iur. bell. et pac.*  
*lib. I. cap. 3. §. 23, n. 2.* sed eam male feu-  
 dis francis attribuit. Talis, inquit, obligatio  
 sicut priuato non erat demtura ius libertatis per-  
 sonalis, ita nec regi aut populo ius demit sum-  
 mi imperii, quae libertas est ciuilis, quod aper-  
 tissime consideratur in feudis liberis, quae franca  
 uocant, quae nudo iure in rem, in sola persona-  
 li obligatione, consistunt. Obseruauit iam Bar-  
 beyracius in *not. ad h. l. Grot. Grotium*; ad-

optasse hanc de feudis francis sententiam, ut Batauiam suam ab omni nexu clientelari Germanorum, cui olim erat implicita, declarare posset immunem.

§. XIII.

3) Quot errores hic detegere licet cum in iure, tum doctrina communi feudorum? quales multos iam ostenderunt Thomasius, Gundlingius, Ludewigius, aliique in castra iuris feudalis uniuersalis descendentes. Ad essentiam feudi uniuersim spectati opus quidem esse uidetur domino, cui debetur feudi concessio, reuerentia, fidelitas, sed non directo et proprietario. Feudi proprii et improprii classes et fines plane immutandi, et mirifice uariant in nostra disciplina: prout enim in feudo qualitates eius naturales uel seruantur, uel mutantur, dicitur esse proprium uel improprium. Sed quaenam sunt naturalia feudi? Multa huc uulgo referuntur, quae ad accidentalia spectant, si naturalis iustitiae rationes sequaris. Res immobilis, quae olim absurdissime a nonnullis essentiae feudi fuit attributa, ne quidem locum inter eius naturalia tueri potest: nam eadem ratione essentiam feudi plane consequitur, etiam in re mobili dominium utile concedi posse. Quid quod feuda soldatae, camarae, cauenaee antiquiora longe fuisse, et magis propria, quam rerum immobilium concessiones, probabilissi-

mum reddit Germanorum historia, ut iam Eybenius ostendit. Iusiurandum qui cogitac esse uinculum mere accessorium, quod salua fide pacti etiam abesse potest, ne quidem in mentem sibi uenire patietur, feudum iniuratum esse improprium. Sic quoque recta ratio non adsequitur, perpetuitatem, seruitia militaria, laudemium cet. essentiam feudi consequi. Vnde plane alia classis feudorum priorum et impropriorum resultabit.

## §. XV.

4) Iam dudum conquesti sunt Icti de incerta ratione consuetudinum feudaliu: fluctuare hic omnia arbitrantur, nec certa subesse fundamenta, quibus superstrui possint sententiae, si praesertim interpretum immanis dissensus et doctorum opiniones in subsidium uocentur. Hinc recentiores toties recurrunt ad limpidissimum iustitiae naturalis fontem, et ad rectae rationis dictamina prouocant, quorum necessarius cum felicitate, praesertim securitate humana, nexus indubitatum praestat agendi normam. Superaddita sunt nonnulla ab usu feudorum iuri naturali, et praeter eius normam constituta, in aliis ipsi deductum est per consuetudines feudales, alia ambigui sunt iuris, et dubitanter posita ob diuersas sentientium opiniones. Peruideri haec omnia nequeunt sine usu iuris feudalis uniuersalis. Consentientem habeo Ludewigium in *Iur. client. Germ. sect. II. cap. 1. pag. 78. coniectu-*

rae, inquit, coniecturis, opiniones opinionibus eliduntur. Idem in feudorum institutis, ubi nulla sententia tam peregrina et peruersa est, quae reddi nequeat opinabilis, si lamiae accesserint praecudiciorum, cateruae ita sentientium, neniae consuetudinum, Langobardici textus auctoritas, si is faueat; si minus, eius exauctoratio. His pigmentis nunc defendam feudale decretum, iterumque refellam et confutabo. Alia uia incedendum est illi, qui contendit ad ueritatem. Vt enim in publico iure forma imperii non ex ingenio effingenda, sed ex statu rei publicae cognoscenda atque adsumentanda est, quam semper deinceps in oculis habere oportet doctorem, ut, quod principio statuit, in successu euentuque retineat: sic praecipue in feudalibus prouidendum est, quae genuina definitio feudi, quae essentialia eius sint, quae uero naturalia et accidentalia, quae praesumi debeant in feudis, et quae probari. Hoc uero semel ex aliis enarrauissse satis non est: reliqua enim exinde enasci debent, ut fluius e fonte, e frutice arbor, e grano herba, ut foetus matri, ultima primis ubique respondere uideantur. At uero unde, quae so, desumenda erunt generalia ista sciendi principia, unde dispicienda attributa, quae essentiae, naturae feudorum generatim spectatorum conueniunt, uel eam consequuntur, quae feudis mere accidant, et ab iis salua natura abesse queant, nisi generales adhibeas iustitiae speculationes, nisi recurras ad ius feudale uniuersale?

F I N I S.









VD  
18

VD



119557

**ULB Halle**

3

007 401 213





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

EVERI

ING.

ALIS

LIS.

SIAE

669  
671

551

